Illustrissimo, summæque spei juveni *HENRICO VANE* Armigero, Honoratissimi, & à me plurimùm observandi Viri, D^ni^ D. D. *HENRICI VANE* de *Raby*, Equitis Aurati, Filio primogenito,

Χαίρειν καὶ εὖ πράττειν.



Cogitanti mihi sæpenumerò, Ornatissime Domine, Suavissime Henrice, *tum vestra erga me promerita, tum meum erga Familiam Vestram omnem obsequium, & memoriâ repetenti tot annorum decursu confirmatam, tot officiorum religione jam olim ab ineunte ætatulâ corroboratam clientelam, quique mihi tecum fuerit usus, quæ interioris vitæ consuetudo; non tam mirificum videri solet, quod te nunc demum appellem, quam quod hactenus id non fecerim: imo illud longè mirificissimum. Nolo laudes parentis Tui, mei jam inde usque a parvulo Mæcenatis, fusius persequi, quæ ejusmodi sunt, ut nunquam quicquam tam magnifice dici possit, quin & plura & majora supersint dicenda: quem* Defensorem *Respublica, quem* Patronum *literati, quem* Fautorem *pii omnes ita senserunt, ut nihil sibi tam promptum uspiam, ac paratum fuerit, quam fuit ejusce Herois opera, atque industria. Nolo commemorare Patruos Tuos, magna apud Britannos, exterosque nomina, cæterosque qui Te aut affinitate, aut cognatione attingunt: Quota pars laudis Tuæ, est natalium claritas & amplitudo? Iis Tu animi dotibus præditus es, tam eximia natura, tam excelso ingenio, tam exprompte judicio, (quibus accessit quicquid vel Tuum ipsius studium, atque diligentia, vel* Patris *hortatu præceptisque conformata tribuere possit disciplina) ut* Parentem *Tuum,* Maximum *dicere nefas habeam, quia* major *est, quam sui expectationem commovit* Filius. *Noli putare me hoc auribus Tuis dare, minus aliquanto loquor quàm sentio, vel etiam quam quod negari debeat veritati. Decreveram justo munere, & concinnato volumine te adorare; sed exigui prædicationem temporis nactura videbatur musteorum poematum quantumvis congeries. Ecce Tibi itaque Hexastichon, scriptum pusillum mole, sed ad spem immortalitatis elucubratum: cui pretium facit & Author* SANNAZARIUS, *& ejusdem non* parcus *æstimator,* Senatus Venetus; *Quæ Civitas Encomiasten hunc suum tanti fecit, ut aliis tum auctæ, tum conservatæ reipublicæ, huic illustratæ ornatæque urbis testimonium impertiverit. Quicquid porro* Sannazario *suo acceptum ferunt* Venetiæ, *quod certe maximum est, id omne, ita est ad speciem magnificum, ad laudem insigne, ad memoriam perenne, ut minus non sit quod in Quirites contulerit* Birchedus *noster, qui hoc suo Elogio perfecit, ut non plus* septenis collibus, *quam* Senis *hisce* carminibus *sit in posterum debitura* ROMA. *Mea istæc cautio erat, nequid de genio authorum delibaret illepida atque inscita versio: Illud præterea consecutus videor, ut quocunque pertigerit duarum urbium toto orbe celeberrimarum fama, illuc quoque & vestræ Gentis gloria pervenire possit. Et quamdiu superfutura sunt hæc felicioris ingenii monumenta, Tuâ, Parentisque Tui Augustissimâ Epigraphe commendata, tamdiu profecto mei erga te amoris, benevolentiæ, observantiæ pignus habitura est præsens ætas, & Mnemosynon posteritas: eademque pagina & vestros præ se feret* titulos, *meque iisdem literis consignatum perhibebit,*

Vestri devotissimum cultorem

HENRICUM STUBBE.

Dabam ex æde Ch: Oxon. Idib: Jun:
A. D. 1656.

De admirandâ Venetorum Urbe.

Viderat Adriacis Venetam Neptunus in undis
Stare urbem, & toto ponere jura mari:
Nunc mihi, Tarpeias quantumvis, Jupiter, arces
Objice, & illa Tui mænia Martis, ait.
Si pelago Tybrim præfers; Urbem aspice utramque,
Illam homines dices, hanc posuisse Deos.

Act. S. Sannazarius.

Idem Græcè redditum.

Εἶδέ ποτ' ἀμφιρύτῳ Βενετῶν πόλιν Ἐννοσίγαιος
Στῆναι, ἰδ' Ἀδριακοῦ κοιρανέειν πελάγους.
Ὧδε δ' ἔφη, μή μοι προφέρε, Ζεῦ, αἰπὰ κάρηνα
Ῥώμης νῦν, εἴτ' αὖ τεῖχος Ἀρηΐφιλον·
Εἰ Θύμβριν προβέβουλας ἁλός, σκόπαζε πόληας·
Ἐκ δ' ἐρέεις, Μακάρων (φεῦ!) τόδε, κεῖνο Βροτῶν.

Idem Aliter.

Ἀδριακοῦ στῆναι Βενετῶν πόλιν ἄμμεσα πόντου,
Καί ῥ' ἁλὶ κοιρανέειν, Ἐννοσίγαιος ἰδὼν
Εἶπε δ' ἄρ, Αὐσονίης μή μοι κρήδεμνα πόληος,
Ζεῦ, φάο, καὶ σφετέρου τεῖχος Ἐνυαλίου·
Εἰ Θύμβρεις πελάγους βασιλώτερος, ἄστεα λεῦσσε·
Τοῦτο Βροτῶν ἐρέεις μῆχος, ἐκεῖνο Θεῶν.

Pro Dominâ Româ.

Cum Capitolinæ penetrâssent nubila turres,
Ausæ perrupto pandere regna Polo:
Paruit Oceanus Tybri; subservijt Urbi
Orbis, Cultricem dii coluêre suam.
A divis condi vulgare: hæc gloria major,
Ponere jura deis, quam posuisse deos.

H. Birchedus.

Idem Græcè.

Κρηδέμνοις εὔπυργον ἐπεὶ Καπιτώλιον ἔστη,
Ἐν δ' ἐμίγη νεφέλῃς οὐρανομηκὲς ἕδος·
Θύμβριδι Ὠκεανός, καὶ ἄστει γαῖα πέδησι·
Θεοσεβέος πόλεως (φεῦ!) σέβας εἷλε θεούς.
Ἶσον τίς κ' ἐρέοι, καὶ ὁμοιωθήμεναι ἔντιω,
Ὡς τετύκοντο θεοί, ὡς σιδάσαντο θεοί;

Aliter.

Ἀκροτάτη κορυφῇ πολυδειράδος ἡνίκα Ῥώμης
Ὦρτο, καὶ ὑψερεφὴς ἄμβατον ἶξε πόλον.
Θύμβριν ἐπίζετο πόντος, ἰδὲ Πτόλιν εὐρεῖα χθών·
Ἅζετο δ' ἄντα θεοὺς Ἄστυ, καὶ Ἄστυ θεοί.
Θεσπεσίας πτόλιος καὶ ἄλλυδις ἕδρανα, μεῖζον
Τοῦτο, θεοὺς τεύχειν, ἢ θεόθεν γεγάμεν.

Laus Romæ præ Venetiis.

Mænia surgentis dum Jupiter ardua Romæ,
Et Capitolinæ respicit arcis opus:
Quid Venetam Neptune? refert. Hic itur ad astra,
Vix ea Tyrrheno statve, natatve sale.
Has *Numen* terras dedit; ast *Hæc* Numina terris;
Iste *labos* major, *grandius* illud erat

Idem Græcè.

Φαίδιμ' ἐϋκλήεντος ὁρῶν Ζεὺς τείχεα Ῥώμης,
Καὶ Καπιτωλίνου ἕδρανον αἰπὺ λόφου·
Πῶς, φάσι, πῶς Ἐνετούς; μετέειπε· τόδ' οὐρανὸν ἵκει,
Καὶ τόδε νάζει βεβαπτισμένον ῥοθίοις.
Τοῦτο θεοὶ ἀνέθεντο, θεὸς δ' ἀνέθηκεν ἐκεῖνο·
Ἔνθα πόνον φαίης μείζον', ἰδ' ἔνθα κλέος.

Aliter.

Ῥώμην Ζεὺς ἀθρήσας ἰδὼν τείχεσι μακεδνοῖς,
Καὶ Καπιτωλῖνον πύργον, ἔλεξε τάδε.
Πῶς αὐτῶς Ἐνετοὺς Γαιήοχε; Αἰδέει τοῦτο
Ἐστήριξε χέρι, καὶ τὸ βέβασαι ἁλί.
Τοῦτο θεοὶ εἵσαντο, θεοὺς καί γ' ἄρ' εἵσεν ἐκεῖνο·
Ἀλητὰ μάλ' ἔνθεν ὁδοῦ, κλειτὰ δέ τ' ἔνθεν ὁδοῦ.

Henricus Stubbe.